

In memoriam Alphonsi WEISCHE¹

von Francisca Deraedt

Melissa, sodalitas perenni Latinitati dicata,

Brüssel

g.licoppe@skynet.be

Professor Alfonsus WEISCHE (1932–2023), clarus philologus necnon poeta Latinus, philosophiæ theologiæque studuit in Romana Universitate Gregoriana, philologiæ autem classicæ in Universitate Monasteriensi ac Marburgensi. Publicata dissertatione c. t. *Cicero und die Neue Akademie. Untersuchungen zur Entstehung und Geschichte des antiken Skeptizismus*, Monaci primum docuit in studiorum universitate, postea Monasterii, ubi etiam circulum Latine loquentium condidit. Erat enim strenuus Latinitatis vivæ fautor, ita ut anno 1987 numeraretur inter conditores consociationis L.V.P.Ae (sive Latinitati Vivæ Provehendæ Associationis). Sodalis etiam erat Saravipontanæ Societatis Latinæ. Multa scripsit Latine, etiam in periodico nostro *Melissa* necnon in miscellaneis Gaio LICOPPE anno 2006 dicatis (*Navigare necesse est*, p. 203–209), in quibus pulcherrima verba Ernesti Renan Latine interpretata lectoribus proposuit. Ab alumnis, qui eum plurimum amabant, iure et merito vocabatur ‚vir bonus dicendi peritus‘; atque hic fuit titulus operis ei occasione sexagesimi quinti natalis oblatis: *Vir bonus dicendi peritus. Festschrift für Alfons Weische zum 65. Geburtstag* (ed. B. CZAPLA, Wiesbaden 1997). Melius dicere non potuerunt. Sit ei terra levis.



Programm Lehrkräftefortbildung 29.02.2024.

¹ Erstveröffentlicht in *Melissa* 235 (Aug. 2023), p. 15.